



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Quomodo intra cubiculum suum se gesserit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

difficile, aut clariùs explicatum, breuiter excipiebat scripto. Alterumque præterea libellum sibi confecerat, titulo, *Boni Scholastici Societatis*, in quem documenta varia è Regulis maximam partem decerpta congesserat, vtilem fanè nostris omnibus, quemque his verbis absoluit: *Denique memor sit in omnibus se filium esse adeò bonæ Matris Societatis IESV.* Magni omninò faciebat doctrinam Præceptoris sui, omnesque eius opiniones non solùm tuebatur ipse, sed & collegas, vt id quoque facerent, adducebat. Ad aliorum Professorum scripta numquam diuertebat, vixque etiam oppugnari sententiam Magistri sui patiebatur; qui sensus eius cum publicè notus esset, subinde nonnulli Patrum, præsentente Ioanne, per iocum sententiæ alicuius auctoritatem eleuabant, vt Ioannes ad tuendam eam (quâ erat animi alacritate ac promptitudine) acriter se obiectaret.

In cubiculo stans semper studebat quiete magnâ, dubitationesque breui excipiebat chartâ, Magistro mox proponendas. Si quid in dictatis occurrebat perplexius, quod explicare ipse non valeret, animum, instar præparati foli, explicabat Deo, ad diuinæ sapientiæ fatus excipiendos, orabatque genibus flexis: *Domine tu scis, hanc me rem absque ope tuâ per tenuitatem meam assequi non posse:*
obsecro,

obsecro, adesto mihi hallucinanti. Da mihi, Domine, sedium tuarum astricticem Sapientiam, ut mecum sit, & mecum laboret: aperi mihi huius rei intelligentiam. Asserebatque, se multum hac prece lucis impetrare. Tempus studijs assignatum, vniuersum studijs impendebat, nisi fortè contentionem remittere cogeret capitis dolor, quem aut sacri alicuius libelli, aut Rosarij recitatione mitigabat.

Quantumuis in studia esset procliuus, promptissimè tamen ea absque omni etiam repugnatione interrumperebat, quocumque alio negotio sibi à Superioribus dato, seu Sacris ministrandi, seu alios foras comitandi. Præceptorem suum honore longè maximo obseruabat. neq; triennij tempore rem vllam (quæ meritò ei displicere posset) aut factò aut verbo admisit: apud omnes numquam nisi honorificentissimè de eo locutus. Quoties ad Magistri cubiculum ibat, dubiorum proponendorum causà, si intrò adesse aliquem percepisset, foris ipse expectabat; aliòque egresso, ingrediebatur oculis demissis, nec in eum intuens: quòd iam nosset scilicet quem alloquebatur; habitoque honore, aperto manebat capite, dum iussus operire, tegeter quidem, sed nouà quaque proposità quæstione, denuò nudaret, tegeterque (ut si bene moratus filius adstaret patri) quod interloquen-